

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm**

**Bonagrata <von Habsheim>**

**Friburgi Brisgoiae, 1665**

Ivdex

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

laritas sub die 2. Sept. 1580. Et cum limietatione, ne in vsu huius facultatis aliqui minus docti errent, reconciliare ab Irregularitate defectu lenitatis contracto, omnibus Confessarijs approbatis conceditur, ab alijs vero, Rectoribus, qui eandem facultatem concedere possint alijs doctis & prudentibus. Et V. Ordines Maiores, absolui possunt (ait Collector) à nostris, qui excommunicati sacrorum Ordinum ministeria obijissent, ac cum ijs super Irregularitate dispensari. Pius 5. 22. Nou. 1568. Idem concessit Greg. 13. 25. Iun. 1573. Et iterum 24. Aug. 1576. cum extensione ad eos absoluedos, qui Ordines etiam Maiores in excommunicatione maiori susceperunt, &c. Vide insuper V. Absolutio quoad FF. n. 21. V. Occultum. V. Dispens.

## I V D E X.

261. Index Ordinarius, qui ex officio iudicandi potestatem habet: Delegatus, qui ex Commissione.
262. Iudices Regularium ordinarij qui sint?  
263. Qui non sint?
264. Iudices Regularium delegati.
265. Quatuor delictorum genera, leuia, grauius, grauiora, grauisima.
266. Leuia & grauius iudicant Guardiani; Grauiora & grauisima Superiores Maiores. 261. Iudex

261. **I**udex alius est ordinarius, alius Dele- CCLXI.  
 gatus. Ordinarius est, qui ex officio *Index or-*  
*dinarius.*  
 seu dignitate, quam per electionem & superioris  
 confirmationem obtinet, iudicandi potestatem  
 habet. Delegatus, qui non ex proprio Iure seu  
 officio, sed ex alterius mandato ac commissione  
 auctoritatem habet. P. Bouer. *Direct. fori Iud.*  
*p. 1. c. 4. P. Philip. de Bict. in Epit. Caus. Re-*  
*gul. q. 2. Prælud.*

*Delega-*  
*tus.*

262. Inter ordinarios Regulares, in- CCLXII.  
 trà ordinem (extrà seu suprâ ordinem sunt  
 Eminent. Ordinis Protector, S. Congrega-  
 tio super negotijs Episc: & Regul: & super  
 omnes S. Pontifex) Primus & Supremus  
 est, Capitulum Generale, toto illo tempo-  
 re quo celebratur. 2. Generalis. 3. Capitu-  
 lum Prouinciale. 4. Prouincialis. 5. Guar-  
 dianus & Superiores cuiuslibet Conuen-  
 tûs. Ad hos reducuntur Commissarius seu  
 Visitator Generalis, & Prouincialis, qui  
 post obitum eorund. illis in officijs succe-  
 dunt. P. Philip. *cit. q. 3. n. 1. post P. Sanctes*  
*& alios.* P. Bouerius addit Vicarium defun-  
 cto Guardiano, & Vicarius locorum, in  
 quibus nondum est Guardianus institutus,  
 uti sunt Superiores Hospitiorum. Dissentit  
 etiam aliquantum P. Bouer. à prædictis Au-  
 thoribus primum locum assignans Genera-  
 li, alterû Procuratorî Ordinis, ut est Com-

*Iudices*  
*ordinarij*  
*Regularium*  
*quibus*  
*sunt?*

Bb 5

mis-

missarius Generalis. 3. Capitulo Generali. Sed verius est præcedere Capitulum Generale, prout constat ex Capite & suis membris, cuius etiã Ordinẽ Generalis tanquam eidẽ subiectus irritare seu mutare nõ valet. Procurator Curix, vt est Commissarius Generalis, absolutẽ loquendo delegatam auctoritatem solũm habet, amplioẽ vel strictioẽ, in quantum eidem à P. Generali datur & non vltra, iuxta recentem declarationem factam in Capitulo Generali, quia tamen delegatus est à Generali, qui est velut Princeps Religionis, ad officium stabile & permanens, eatenus etiam Ordinatio comparatur. P. Philip. n. 3. & 4. Vbi propter Delegantis dignitatem idipsum asserit de Visitatoribus seu Commissarijs Generalibus, siue permanentes sint, siue non, quia tamen hoc ambiguum est & controuersum, ait n. 6. in re tam graui, tutius esse, vt quantum fieri potest, Delegati à P. Generali, se vt Delegati gerant, non autem vt Ordinarij, ne eorum gerenda ponantur in ambiguo.

CCLXIII. 263. His exceptis, nulli, aut Legati, *Qui non sunt?* aut Vicelegati, aut Nuncij Apostolici, aut locorum Ordinarij, aut Ecclesiastici, multò minus sæculares Iudices, quocunque nomine nuncupentur, nisi specialem ab Apostolica

Apostolica Sede Commissionem acceperint, Regulares iudicare, aut illorum appellationes recipere debent, cum ij sub speciali Apostolica Sedis protectione recepti, Rom. Pontifici singulari Privilegio subiaceant. P. Bouer. cit. Videfis de hoc V. Exemprio.

264. Iudices Delegati sunt Visitatores à Generali Ministro ad aliquam Prouinciam visitandam destinati. Commissarij Prouinciales, Prouinciali Ministro vel absente vel infirmo, siue ij ad vniuersitatem causarum, siue ad aliquas tantum causas delegati sint. Item Custodes, Guardiani, ac Vicarij, locorum Guardianis absentibus, dum secundum nostrum modum procedendi c. 1. §. In grauioribus. in casu aliquo urgenti, vbi periculum est in mora, neque Prouincialis aut Custodis presentia haberi potest, tanquam Prouincialium Delegati, crimina etiam grauiora & grauissima cognoscere, informationes sumere, processum informatiuum instituere, & de consilio Seniorum illius loci, vbi Rei fuga timetur, ad custodiam in carcerem mittere possunt. P. Bouer. cit.

265. Notandum hic ex nostro procedendi modo, quatuor esse Delictorum genera. Sunt enim leuia, sunt graua, sunt grauiora, sunt tandem grauissima. Ad leuia spectant

CCLXIV.  
Iudices  
Regularium  
delegati.

CCLXV.  
Quatuor  
delictorum  
genera  
Leuia,

*Gravia.*

spectant quotidiani defectus, qui passim vel ex negligentia, vel animi leuitate fiunt, qualia sunt nugæ, loquacitas, silentium statutis temporibus violare, cibum aut potum absque Superioris licentia sumere, tardè ad officium aut Refectorium conuenire, & his similia. *Gravia* habentur, à Confessione & Communione in Constitutionibus præscriptis se subtrahere, Missam statutis temporibus non audire, frequentius quàm par est, celebrationem Missæ omittere, Regulare aut Ecclesiasticum ieiunium frangere, obscæna verba proferre, aut iuramenta inter loquendum miscere, S. Scripturæ verbis inter nugas abuti, præter necessitatem abesse à Choro, &c. *Graviora*, famam alterius grauitè lædere, conuitijs & enormi contumeliâ fratrem impetere, illum mentiri expressis verbis asseuerare, dicere falsum testimonium in iudicio, minari se percussurum grauitè fratrem; manibus, ligneo, aliòque instrumento (citra ferrum) grauitè percutere, inobedientem esse vsque ad contumaciam, Proprietarium in re graui & notabili, secreta Religionis extra Ordinè pandere, Pasquillos aut libellos famosos componere & publicè legendos exponere, libros absque debita Superiorum facultate imprimendos curare, suspecta cum mulieribus

*Graviora.*

ribus consortia habere, ad actum carnalem  
qualemcunque personam sollicitare, pecu-  
nias ad sui ipsorum vel aliorum comòdum  
sine Prouincialis licentia procurare, &c.  
*Gravissima* tandem sunt, subornatio in Ele-  
ctionibus, fornicatio quæcunque, crimen  
peffimum ac nefandum, aggressio ferro fa-  
cta, etiam percussione non secutà, percus-  
sio non secutà morte, homicidium, manus  
seu sigilli Generalis vel Prouincialis falsifi-  
catio, mulierum intrà septa Monasterij in-  
troducio temerè facta, aliaque huiusmodi.

266. In *leuibus* itaq; & *grauibus* Crimi-  
nibus non solum Superiores Maiores, sed  
etiam Minores, vt Guardianus, Superiores  
Hospitiorum, & eorum Vicarij sine strepi-  
tu aut figura ludicij procedere debent, &  
per salutares Pœnitentias corrigere omni  
appellatione remota: nisi fortè correctio-  
nis modum excedant, tunc enim ab ijs ap-  
pellare licet: In *gravioribus* autem & *grä-  
uissimis* Generales ac Prouinciales Ministri  
tantum, ac Delegati eorum, & in casu ve-  
genti tantum Costodes, Guardiani ac eo-  
rum Vicarij, instructo super his informati-  
uo processu procedere valent: tum verò  
quamprimùm Prouincialem Ministrum,  
aut eo absente vel defuncto Commissarium  
tertiorum facere ac ipsius mandatum ex-  
pectare

*Gravissi-  
ma.*

CCLXVI.  
*Leuia &  
grauia  
judicant  
Guardia-  
ni. &c.*

*Graviora  
& gra-  
uissima  
Superio-  
res Maio-  
res.*

pectare debent. His tamen Reum citare, aut constituere, aut in eum sententiam ferre, aut illum vllâ Iuris pœna afficere omnino interdicitur. P. Bouer, *cit. c. 6.* & P. Philip q. 7. *ex nostro Modo procedendi.*

Quid possint nostri Superiores in causis ad S. Officium spectantibus, videatur Decretum S. Congreg. relatum *V. absolutio quoad FF. n. 16.* Plura alia huc facientia *V. Dispensatio. V. Prælati. V. Prouincialis. V. Pœna. V. Viscator.*

## IURAMENTVM.

267. Iuramentum est Inuocatio Diuini Nominis in testimonium. De presenti vel præterito, dicitur assertorium; de futuro, promissorium.
268. Iuramentum quis relaxare possit?
269. Iuramenta reseruata Papa.
270. Iuramentum fauore alterius præstitum cessat remissione partis.
271. Iuramentum iustum acceptatum, num tolli possit à Papa?
272. Iuramentum subditorum tollitur irritatione Superiorum.
273. Regulares irritare iuramenta Secularium nequeunt.
274. Cessat etiam iuramenti obligatio mutata materia & Commutatione.